

Non deficiunt argumenta, ob quae iudicari posset, curias
 N existere in patrimonio senatus; Dum dicuntur 1) **Rath-**
häuser, quasi ad senatum pertinerent, 2) et senatus con-
 fessus ibi haberi solet, in cuius gratiam partim exstructae sunt.
 3) Senatus de illis adhibitis tribunis plenarie disponit. 4) Fru-
 ctus senatus percipit, 5) reparationem earum curat, 6) eas
 locat, et sic plura. Verum enim vero, si perpendamus curias
 a curando dictas esse, et per illas domos intelligi, ubi salus
 atque incrementum ciuitatis promoueri solet, vel certe debet,
 optime potest comprehendere, quid sibi uelit **ein Rathhaus**,
 curia, et **ein Rathshaus**, aedificium, quod in patrimonio
 senatus est. Nihil deinde probat, quod senatus ibi conueniat;
 nam hunc in finem ab vniuersitate exstructae, et ita aptatae
 sunt, ut actus iudiciales expediri, et vniuersitas tota, si re-
 quiratur, congregari possit. De illis vero non tanquam do-
 mini, sed ut administratores disponunt; hinc semper tribuni
 adhibendi sunt, a) tum in ineunda locatione iurium, antea
 dictorum, quum, si aliud quid disponi debet, quod repara-
 tionem aut conseruationem spectat, cui oneri semper suggerit
 vniuersitas sumtus. Sumtus semper cadunt in dominum.
 Quod vero quidam ex illis capiant senatores fructus, haec ad-
 est ratio. Senatoribus pro studio, quod in curam Reipubl.
 impendunt, honorarium debet vniuersitas. Quod ut eo com-
 modius ad eos perueniat, assignari illis solent quidam redditus,
 ad communitatem pertinentes, ut **Stätte-Geld, Pflaster-**
Geleite etc. Sic etiam quidam curiarum redditus aliis prae-
 stationibus, quas communitatis nomine senatus exhibere de-
 bet,

a) l. DE LEYSER Spec. ad ff. CXXXI. med. 2.